

The Project Gutenberg eBook of Aristophanis Lysistrata, by Aristophanes

This ebook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this ebook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

Title: Aristophanis Lysistrata

Author: Aristophanes
Translator: Rich. Fr. Phil. Brunck

Release date: August 23, 2015 [EBook #49764]

Language: Latin

Credits: Produced by Carolus Raeticus

*** START OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK ARISTOPHANIS LYSISTRATA ***

ARISTOPHANIS LYSISTRATA.

TRANSCRIBER'S NOTES

This transcription is based on Richard François Philippe Brunck's (1729-1803) Latin prose version of the comedy by Aristophanes. The edition used is the following:

- *Aristophanis comoediae ex optimis exemplaribus emendatae: cum versione latina, variis lectionibus, notis et emendationibus*, Vol. 4 (1810, Oxonii, Typis et sumtu N. Bliss.)

This edition ("Oxford") was also compared with a second edition dating from 1826 ("Leipzig"):

- *Aristophanis comoediae auctoritate libri praeclarissimi saeculi decimi emendatae a Philippo Invernizio*, vol. 13 (1826, Lipsiae, in libraria Weidmannia)

Differences between these editions as well as typos in the Latin text are listed in the appendix "Transcriber's Footnotes". They are referenced in the text as [1], [2], etc.

To make the play easier to comprehend, respective footnotes have been added from an English version PG-text #8688). These are referenced as [PG1], [PG2], etc.

DRAMATIS PERSONÆ.

- LYSISTRATA.
- CALONICE.
- MYRRHINA.
- LAMPITO.
- CHORUS SENUM.
- CHORUS MULIERUM.
- STRATYLLIS.
- PROVISOR.
- MULIERES QUÆDAM.
- CINESIAS.
- PUER.
- CADUCEATOR LACEDÆMONIORUM.
- LEGATI LACEDÆMONIORUM.
- POLYCHARIDES.
- CIRCUMFORANEI QUIDAM.
- FAMULUS.
- ATHENIENSIS QUIDAM.

ARISTOPHANIS LYSISTRATA.

LYSISTRATA, CALONICE, MYRRHINA, LAMPITO.

LYS.—At si quis in ædem Bacchi vocasset eas, aut Panos, aut Coliadis, aut Genetyllidis,^[PG1] ne transire quidem liceret præ

multitudine tympanorum: nunc autem nulla adest hic mulier. Verumtamen hæc vicina mea foras exit. Salve, ô Calonice.

CAL.—Et tu mecistor salve, Lysistrata. Sed quid conturbata es? exporge frontem, carissima: non enim te decent contracta supercilia.

LYS.—Sed, ô Calonice, uritur mihi cor, et valde me piget sexus nostri, quoniam viri existimant^[1] nos esse nequam.

CAL.—Quippe tales pol sumus.

LYS.—Quumque edictum illis fuerit huc convenire, deliberaturis de re non levi, dormiunt, nec veniunt.

CAL.—Sed, ô carissima, venient. Mulieribus domo prodire non ita facile est. Alia enim marito operam dat: alia famulum excitat: alia puerum in lecto collocat, alia lavat, alia cibo in os indito placat.

LYS.—Sed erant magis necessaria curanda ipsis.

CAL.—Quid autem est, mea Lysistrata, cur nos mulieres convocas? Quænam illa res est aut quanta?

LYS.—Magna.^[PG2]

CAL.—Num etiam crassa?

LYS.—Ita me servet Jupiter, crassa.

CAL.—Quî fit ergo, ut non veniamus?

LYS.—Nihil tale est: cito enim convenissemus. Sed est quiddam a me quæsitum, multis vigiliis in omnes partes versatum.

CAL.—Mirabor, ni subtile quid sit versatum istud in omnes partes.

LYS.—Adeo subtile, ut universæ Græciæ salus sita sit in mulieribus.

CAL.—In mulieribus? Parum ergo abest, quin nulla sit.

LYS.—Ita ut arbitri nostri sit, salvam esse rempublicam, aut nullos superesse, nec Peloponnesios—

CAL.—Nullos superesse edepol optimum^[2] est.

LYS.—Bœotiosque omnes perire funditus.

CAL.—Non omnes, quæso; sed anguillas excipe.^[PG3]

LYS.—De Athenis autem nil tale ominabor: tu ipsa conjecturam facias.^[3] Si vero convenerint huc mulieres ex Bœotia simul et Peloponneso, nosque Atticæ, communiter servabimus Græciam.

CAL.—Sed quid possent mulieres prudenter agere et præclare? nosne, quæ sedemus pigmentis nitentes, ornamentis excultæ, crocotas gestantes, et Cimbericas rectas, et peribaridas?

LYS.—Immo enimvero hæc ipsa sunt, a quibus salutem spero; crocotulæ, et unguenta, et peribarides, et anchusa, et pellucidæ tunicæ.

CAL.—Quo tandem modo?

LYS.—Ita ut illorum, qui nunc vivunt, virorum contra alium hastam nemo tollat.

CAL.—Crocotam ergo, ita me Ceres amet et Proserpina, mihi tingendam curabo.

LYS.—Nec clypeum sumat.

CAL.—Cimbericam induam.

LYS.—Nec gladiolum.

CAL.—Peribaridas emam.

LYS.—Annon ergo adesse mulieres oportebat?

CAL.—Quin pol volando venisse oportuit dudum.

LYS.—Sed, pro dolor! videbis eas esse nimis Atticas, dum omnia faciunt justo tardius.^[PG4] At nec ex maritimis ulla mulier adest, nec ex Salamine.^[PG5]

CAL.—Sed has scio in celocibus trajecisse matutinas.

LYS.—Nec, quas sperabam et confidebam ego primas hic adfore, Acharnenses mulieres veniunt.^[PG6]

CAL.—Attamen Theagenis uxor,^[PG7] tanquam horsum venire cupiens Hecatæ simulacrum consuluit. Sed ecce accedunt quædam: item aliæ etiam. Hem, hem! undenam sunt?

LYS.—Ex Anagyro.

CAL.—Edepol ut dicis. Anagyrus^[PG8] ergo mihi videtur commotus.

MYRR.—Num tardius advenimus, ô Lysistrata? quid ais? cur taces?

LYS.—Non laudo, Myrrhina, modo advenientem in re tanta.

MYRR.—Vix enim in tenebris cingulum inveni, sed, si res urget, fare præsentibus nobis.

LYS.—Immo potius opperiamur paulisper, dum Bœotiæ et Peloponnesiæ mulieres veniant.

MYRR.—Multo tu rectius dicis: et ecce jam hæc Lampito accedit.

LYS.—O carissima Lacæna, salve Lampito. Quam formosa videris, ô dulcissima! quam pulchro colore, quam vegeto es corpore! vel taurum strangulare possis.

LAMP.—Næ istuc ecastor credo, siquidem corpus exerceo, et subsultans pede podicem ferio.^[PG9]

LYS.—Quam bellas habes papillas!^[4]

LAMP.—Tanquam victimam pertractatis me.^[5]

LYS.—Hæc autem adolescentula altera, cujas est?

LAMP.—Primaria ecastor femina Bœotia venit ad vos.

LYS.—Pol Bœotia est, pulchrumque habens campum.

CAL.—Et pol mundum, vulso pulegio.^[PG10]

LYS.—Quænam vero est illa altera puella?

LAMP.—Bona quidem ecastor, sed Corinthia.

LYS.—Bona edepol videtur, ut illic esse solent.^[PG11]

LAMP.—Jam vero quis congregavit mulierum hunc cœtum?

LYS.—Ipsa ego.

LAMP.—Dic igitur nobis, quid velis.

LYS.—Ita sane, carissima.

MYRR.—Dic tandem quodnam sit serium illud negotium.

LYS.—Jam dicam. Sed priusquam dicam, vos hoc interrogabo pauxillum quidpiam.

MYRR.—Quidquid voles.

LYS.—Liberorum vestrorum patres nonne desideratis absentes in milita? Sat enim scio unicuique vostrûm peregre abesse virum.

CAL.—Meus quidem vir jam quinque menses, ô miser, abest in Thracia observans Eucratem.^[PG12]

LYS.—Meus vero totos sex menses ad Pylum.^[PG13]

LAMP.—Meus autem, si quando ab exercitu redeat, mox adnexo sibi clypeo evolat.

LYS.—Sed nec mœchi relicta est scintilla. Ex quo enim nos prodiderunt Milesii, ne olisbum quidem vidi octo digitos longum, qui nobis esset coriaceum auxilium. Velletisne ergo, si quam ego fabricam invenero, bello mecum finem imponere?

MYRR.—Per Deas juro me velle, si me oporteat vel encyclum hocce opponere pignori, sumtamque pecuniam hoc ipso die ebibere.^[PG14]

CAL.—Ego vero mihi videor vel rhombi instar meipsam dissectura, et dimidium mei datura.

LAMP.—Ego vero vel ad Taygetum^[PG15] ascenderem, si ibi Pacem sim visura.

LYS.—Dicam ergo; siquidem res celanda non est. Nobis enim, ô mulieres, si volumus cogere viros ad colendam pacem, abstinendum est—

MYRR.—Quo? dic.

LYS.—Facietisne ergo?

MYRR.—Faciemus, si vel nos mori oporteat.

LYS.—Abstinendum igitur nobis est a pene. Quid mihi aversamini? quorsum itis? Vos inquam, cur labra distortetis, et renuitis? cur color mutatur? cur lacrima fluit? facietisne, an non facietis? aut quid cogitatis?

MYRR.—Non fecerim, sed bellum serpat.

CAL.—Nec edepol ego, sed bellum serpat.

LYS.—Hoccine dicis tu, rhombe? atqui modo aiebas te vel dimidium tui abscissuram.

CAL.—Aliud, aliud quidquid voles. Vel per ignem, si oporteat, incedere volo. Hoc potius, quam quod de pene dicebas, ad quem nihil est quod compares, ô cara Lysistrata.

LYS.—Tu vero, quid?

LAMP.—Et ego volo per ignem.

LYS.—O libidinosum sexum omnem nostrum! non temere est, quod de nobis fiunt Tragœdiæ: nihil enim sumus, nisi *Neptunus et scapha*^[PG16]. Sed, ô cara Lacæna (tu enim si fueris sola mecum, perditam^[6] rem adhuc restituere poterimus) adsentire mihi.

LAMP.—Per ecastor^[PG17] difficile est feminas dormire solas sine mentula. Hoc tamen perpeti oportet: nam pacem fieri oportet maxime.

LYS.—O carissima et sola harum femina.

MYRR.—Si autem, quod absit, quam maxime abstineamus a quo tu dicis, magisne eapropter fiet pax?

LYS.—Multo magis, ita me ament Divæ. Si enim domi sederemus pigmentis oblitæ et in amorginis^[PG18] subucilis nudæ insederemus glabro cunno, arrigerent viri, et coire cuperent: nos autem si non accederemus, at nos contineremus, sat scio mox pacem eos facturos.

LAMP.—Sane Menelaus olim conspectis, ut puto, Helenæ nudis papillis, ensem abjecit.

MYRR.—Quid vero, ô misella, si nos omiserint viri?

LYS.—Tum istud Pherecratis adhibe, *Canem excoriatum excoriare.*^[PG19]

MYRR.—Nugæ sunt ista simulacra. Si vero comprehensas in cubiculum vi traxerint nos?

LYS.—Renitere apprehensis foribus.

MYRR.—At si verberent?

LYS.—Tum præbe, sed maligne. Nulla enim his inest voluptas, si per vim fiant. Aliisque modis molestia eos afficere oportet. Nec dubites, quin ocus defatigentur: nunquam enim ex eo voluptatem vir capiet, ni mulieri simul jucundum sit.

MYRR.—Si vobis hoc videtur, nobis itidem videtur.

LAMP.—Et nos quidem nostris viris persuadebimus, ut ubique sine dolo malo pacem colant. Sed Atheniensium colluviem quomodo quis adducere possit, ut ne rursus delicias faciat?

LYS.—Ne sis sollicita: nos, quod in nobis erit, nostratibus persuadebimus.

LAMP.—Nequicquam, quamdiu in triremes conferentur studia, et in Divæ æde adservabitur immensa illa pecuniæ vis.

LYS.—Sed et hoc etiam bene provisum et præcautum est: occupabimus enim arcem hodie. Nam provectoribus ætate mulieribus hoc mandatum est negotium, ut, dum nos hæc constituimus, sub specie sacrificandi occupent arcem.

LAMP.—Omnino fieri possit: etenim sic bene autumas.

LYS.—Cur ergo non hæc quamprimum, ô Lampito, jurejurando confirmamus, ut irrupta sint?

LAMP.—Jusjurandum modo concipito, ut juremus.

LYS.—Recte autumas. Ubi est Scythæna?^[PG20] quo spectas? Pone in conspectu clypeum supinum: et mihi det hostias aliquis.

MYRR.—Lysistrata, quo sacramento nos adstringes?

LYS.—Quonam? In clypeum, ut Æschylum aiunt fecisse quondam, ove mactata—^[PG21]

MYRR.—Ne, quæso, mea Lysistrata, juraveris in clypeum quicquam super pace.

LYS.—Quodnam erit ergo jusjurandum?

MYRR.—Si sumtum alicunde album equum immolemus, et super eo juremus.

LYS.—Quorsum album equum?

MYRR.—Sed quomodo jurabimus nos?

LYS.—Edepol tibi dicam, si velis. Collocato supino grandi calice nigro, in eum immolemus Thasii^[PG22] vini urceum, et juremus aquam^[7] in calicem nos non infusuras.

LAMP.—Dii boni, quale juramentum! dicere nequeam quantum illum probem. Intus efferat aliquis foras calicem et urceum.

LYS.—O carissimæ mulieres, quanta vis fictilium! hoc sumto calice statim quis hilarabitur: eum depone, et hostiam mihi prehende. O Suada domina, et amicitiae phiala, propitia mulieribus accipe hæc sacra.

MYRR.—Boni coloris est sanguis et pulchre profluit.

LAMP.—Quin etiam, ita me Castor amet, suave olet.

LYS.—Sinite primam me, ô mulieres, jurare.

MYRR.—Non, per Venerem; nisi sortita fueris.

LYS.—Prehendite omnes calicem, ô Lampito, dicatque pro vobis una, quæcunque ego dixerò; vos vero in eadem jurabitis et rata habebitis: *Nec adulter, nec vir ullus est—*

MYRR.—*Nec adulter, nec vir ullus est.*

LYS.—*Qui ad me accedet rigente nervo.* Dic.

MYRR.—*Qui ad me accedet rigente nervo.* Papæ! labant genua mea, o Lysistrata.

LYS.—*Domi casta degam ætatem—*

MYRR.—*Domi casta degam ætatem.*

LYS.—*Crocotam gestans et comta—*

MYRR.—*Crocotam gestans et comta.*

LYS.—*Ut meus vir quam maxime incendatur—*

MYRR.—*Ut meus vir quam maxime incendatur.*

LYS.—*Nec unquam sponte viro meo morem geram—*

MYRR.—Nec unquam sponte viro meo morem geram.

LYS.—Si vero me invitam vi cogat—

MYRR.—Si vero me invitam vi cogat.

LYS.—Maligne ei præbebo et motus non addam.

MYRR.—Maligne ei præbebo et motus non addam.

LYS.—Non tollam calceos sursum ad lacunar.

MYRR.—Non tollam calceos sursum ad lacunar.

LYS.—Non conquiniscam instar lecenæ in cultri manubrio.

MYRR.—Non conquiniscam instar lecenæ in cultri manubrio.

LYS.—Hæc si rata habeam, liceat mihi hinc bibere.

MYRR.—Hæc si rata habeam, liceat mihi, hinc bibere.

LYS.—Si vero transgrediar, aqua impleatur calix.

MYRR.—Si vero transgrediar, aqua impleatur calix.

LYS.—Vosne omnes jurejurando hæc firmatis?

CAL.—Ita, per Jovem.

LYS.—Age, ego sacrificabo hanc hostiam.

MYRR.—Partem modo, ô cara, ut statim ab initio amicæ inter nos simus.

LAMP.—Quis ille clamor?

LYS.—Hoc illud est, quod dicebam. Nam mulieres arcem Deæ jam occuparunt. Sed, ô Lampito, tu quidem abi, et res vestras compone: has autem relinque nobis hîc obsides. Nos vero cum ceteris, quæ sunt in arce, mulieribus, una occludamus ingressæ ostium repagulis.

MYRR.—Nonne putatis contra nos suppetias venturos mox viros?

LYS.—Flocci eos non facio.^[8] Non enim tantas minas, nec tantum ignem ferentes venient, ut claustra hæc reserare possint, nisi ea, qua diximus, conditione.

MYRR.—Nunquam certe, ita me Venus amet. Frustra enim nos mulieres vocaremur invictæ et scelestæ.

CHORUS SENUM, CHORUS MULIERUM, STRATYLLIS, PROVISO, MULIERES QUÆDAM.

CHOR. SEN.—Perge, Draces;^[PG23] præi pedetentim, etsi dolet tibi humerus, ferenti tantum onus virentis olivæ.

SEMICH.—Profecto multa præter spem eveniunt in longa ætate. Vah! quis enim unquam sperasset, ô Stymmodore, se auditurum, ut mulieres, quas pavimus domi, malum manifestum, obtinerent sacrum simulacrum, et occuparent arcem meam, pessulisque et claustris vestibulum occluderent?

SEMICH.—Sed quam citissime properemus ad arcem ire, ô Philurge, ut circumponentes hos caudices ipsis, quotquot hoc facinus instituerunt et aggressæ sunt, pyra una aggesta, incendamus nostris manibus omnes, uno animo: inprimis autem Lyconis uxorem. Non enim, ita mihi Ceres propitia sit, quoad ego vixero, nobis illudent. Nam nec Cleomenes,^[PG24] qui arcem prius occupavit, abivit sine malo suo: sed is, licet Laconicos spiritus gerens, abscessit, armis mihi traditis, exiguum plane et detritam habens lacernam, squalidus, sordidatus, hirsutus, inde a sex annis illotus. Ita oppugnavi ego virum illum tamen, per sedecim ordines disposito exercitu, dormiens ad portas. Harum vero, quæ Euripidi et diis omnibus invisæ sunt, ego non reprimam præsens audaciam tantam? Ne ergo amplius in Tetrapoli meum sit tropæum. Sed enim hoc mihi viæ conficiendum superest, acclive istud spatium, ad arcem, quo propero; et danda opera, ut protelo ducamus hæc ligna sine jumento; nam mihi bajularii vectes humerum comprimunt. Attamen ire oportet, et sufflare ignem, ne forte extinctus imprudentem me deficiat, quum ad finem viæ pervenero. Fu, Fu. Dii boni, qui fumus! Quam vehemens, ô dive Hercules, adoriens me ex olla, uti rabiosus canis, mordet mihi oculos! Et est Lemnius^[PG25] ignis iste omnino: non enim alioqui morsu sic læsisset gramias meas. Festina ad arcem et fer opem Divæ: quando enim ei magis quam nunc succurremus? Fu, fu. Dii boni, qui fumus! Istic quidem ignis deûm favore vigilat et vivit. Quidni ergo, depositis hic vectibus, viteam facem in ollam immittimus, accendimus, et in januam arietamus? Et nisi, quum eas vocabimus, arcis claustra laxent mulieres, incidere oportet fores, et fumo premere. Deponamus jam onus. Vah! quantus fumus! papæ! Quis e Samiæ expeditionis ducibus nobis opitulabitur, manumque vectibus admovebit?^[PG26] Desierunt tandem illi dorsum meum premere. At tuum est, olla, carbones excitare: fac tædam incensam quamprimum mihi feras. Diva Victoria ades, daque nobis, ut mulierum, quæ arcem tenent, præsentem istam audaciam reprimamus, et tropæum erigamus.

CHOR. MUL.—Flammam et fumum videor mihi cernere, ô mulieres, tanquam ardentis ignis: festinandum est ocius.^{[9][PG27]}

SEMICH.—Vola, vola, Nicodice, priusquam incendantur Calyca et Critylla, flatu undique oppressæ, a legibus durissimis et perditis senibus.

SEMICH.—At hoc timeo: num tardiore gradu succurro? nam, postquam primo diluculo urnam e fonte ægre implevi, ob turbam et tumultum et strepitum ollarum, inter ancillas stigmatiasque servos pulsata, raptim sublata urna, popularibus meis adustis nunc demum aquam ferens succurro. Audivi enim capulares senes, stipites ferentes, tanquam balneum calefacturos, trium circiter talentum pondere, impetu ad arcem ire, atrocissimis verbis minaciter dicentes, comburendas esse sceleratas mulieres: quas, ô Diva, ne videam ego ambustas unquam, sed Græciam et cives nostros earum opera bello et furore liberatos. Eapropter, aurea galea fulgens urbis Præses, tuas sedes occuparunt: teque voco adjutricem, si quis illas vir incenderit, ut feras nobiscum aquam.

STRAT.—Omitte, oh! quid hoc est, viri improbissimi? Nunquam enim probi, aut pii hoc fecissent viri!

CHOR. SEN.—Hanc rem inexpectatam cernimus nobis evenire: mulierum examen foribus^[10] succurrit.

CHOR. MUL.— Quid nos formidatis? numquid multæ videmur esse? atqui partem nostrum decem-millesimam nondum videtis.

CHOR. SEN.— O Phædria, hasce garrire tam multa sinemus? nonne oportet aliquem nostrum has verberando baculum frangere?

CHOR. MUL.—Deponamus jam urnas nos etiam humi, ut ne impedimento mihi sit, si quis manum admoverit.

CHOR. SEN.—Næ hercle, si quis jam maxillas istarum, tanquam Bupali,^[PG28] bis aut ter tududisset, vocem non haberent.

CHOR. MUL.—Atqui en, tundat aliquis: stans ego os præbebo, et nunquam alia canis testiculis teprehendet.

CHOR. SEN.—Ni taces, verberando te senectutis meæ vires exhauriam.

CHOR. MUL.—Accede modo, et digito tange Stratyllida.

CHOR. SEN.—Quid, si contundam eam pugnis? quid mihi facies mali?

CHOR. MUL.—Mordicus tibi pulmones et intestina extraham.

CHOR. SEN.—Non est Euripide poëta sapientior. Nullum enim animal æque impudens est, atque mulieres.

CHOR. MUL.—Tollamus nos aquæ urnam, ô Rhodippe.

CHOR. SEN.—Cur tu, ô diis invisâ, huc venisti cum aqua?

CHOR. MUL.—Tu vero cur cum igne, senex Acheruntice? an ut teipsum combusturus?^[11]

CHOR. SEN.—Ego, ut aggesta pyra incendam tuas amicas.

CHOR. MUL.—Ego vero, ut tuam pyram ista restinguam aqua.

CHOR. SEN.—Tu meum ignem restinguas?

CHOR. MUL.—Res ipsa mox indicabit.

CHOR. SEN.—Nescis, an ista lampade mox te ustulem?

CHOR. MUL.—Si forte sordes habes, balneum tibi præbebo.

CHOR. SEN.—Tu mihi balneum, obsoleta?

CHOR. MUL.—Et quidem nuptiale.

CHOR. SEN.—Audistin' ejus audaciam?

CHOR. MUL.—Enimvero libera sum.

CHOR. SEN.—Reprimam ego tibi hunc clamorem.

CHOR. MUL.—Sed non amplius iudex in Heliæa sedebis.^[PG29]

CHOR. SEN.—Incende comas ejus.

CHOR. MUL.—Tuæ sunt partes, ô Acheloë.

CHOR. SEN.—Væ misero mihi!

CHOR. MUL.—Num calida erat?

CHOR. SEN.—Quid calida? nonne desines? quid facis?

CHOR. MUL.—Irrigo te, ut regermine.

CHOR. SEN.—Sed aridus jam sum et tremulus.

CHOR. MUL.—Itaque, quum ignem habeas, teipsum tepefacies.

PROV.—Satin' emicuit mulierum luxuria, et tympanorum pulsatio, et frequentes Bacchationes, et illa in ædium tectis Adonia^[PG30] celebrantium lamenta, quæ ego, quum essem in concione,^[PG31] audiebam. Demonstratus^[PG32] enim, dignus ille hercle qui male pereat, dicebat navigandum esse in Siciliam: mulier autem tripudians, *hei, hei, Adoni*, inquit. Porro Demonstratus dicebat milites gravis armaturæ esse conscribendos e Zacyntho:^[PG33] mulier autem in tecto temulenta, *Plangite Adonin*, ait. Contra omni studio enitebatur diis invisus ille et scelestus Cholozyges.^[PG34] Tales earum sunt obscenæ cantilenæ.

CHOR. SEN.—Quid, si audias harum insolentiam? quæ tum aliis contumeliis nos adfecerunt, tum etiam effusis urnis nos lavarunt, ita ut vestes nobis quatiendæ sint, tanquam si imminxissemus.

PROV.—Merito sane, ita me Neptunus amet marinus. Quum enim nos adjutores simus nequitiae mulierum, easque luxuriam doceamus, hujusmodi nascuntur ab illis consilia. Qui talia dicimus in officinis opificum: *O aurifex, monili, quod fabricaveras uxori meæ, dum ea vesperi saltabat, glans excidit ex foramine; mihi quidem navigandum est in Salaminem: tu autem, si vacat, quovis pacto circa vesperam veni, et ei glandem inferas.*^[12] Porro alius quispiam hæc ad sutorem dicit, juvenem, et qui penem habet haudquaquam puerilem: *O sutor, uxoris meæ pedis digitulum premit corrigia, utpote tenellum: hanc itaque tu meridie veniens, laxa, ut latior fiat.* Talia ex istis evenire solent, siquidem ego, qui Provisor sum, quum nunc, scriptis remigibus, pecunia opus sit, portis excludor a mulieribus.^[PG35] Sed nihil proderit ad hunc modum stetisse: cedo vectes, ut illarum contumeliam retundam.

Quid obstupescis, miser? Tu etiam, quo respicis, qui nihil præter cauponam spectas, nonne admotis ad portas vectibus

eas istinc revellitis? hinc ego etiam simul vellam.

LYS.—Ne revellite: ultro enim ipsa exeo. Quid vectibus est opus? non enim tam vectibus opus est, quam sana mente.

PROV.—Siccine vero impurissima? ubi est Sagittarius? comprehende istam, et manus ei post tergum liga.

LYS.—Per Dianam juro, extremam mihi si manum admoverit, publicus sit licet minister, flebit.^[13]

PROV.—Heus tu, pavesne? nonne corripies mediam, tuque cum isto una, et properabitis ligare?

STRAT.—Per Pandrosion juro, si huic tantum manum injicies, mox cacabis calcatus.

PROV.—Ecce vero *cacabis!* Ubi est alter sagittarius? Hanc primam constringe, quia accepit loqui.

LYS.—Per Luciferam Dianam juro, si hanc digito attigeres,^[14] cyathum mox petes.

PROV.—Quid hoc est? ubi sagittarius? hanc retine. Faxo ego, ut desinatis huc exire.

STRAT.—Per Tauricam Dianam juro, si ad hanc accesseris, evellam tibi capillos cum largo tuo fletu.

PROV.—Heu me miserum! deseruit me sagittarius, sed mulieribus cedere prorsus nos dedecet. Quin instructa acie obviam eis eamus, ô Scythæ.

LYS.—Edepol ergo experiemini et apud nos intus esse quatuor cohortes pugnacium mulierum armis instructarum.

PROV.—Retorquete manus earum, ô Scythæ.

LYS.—O sociæ mulieres, procurrite foras: ô quæ in foro semina, ova et olera venditis: ô cauponæ, quæ allia et panes venditis, nonne trahetis, nonne ferietis, nonne propulsabitis, nonne conviciabimini, nonne impudenter agetis?

desinite, recedite, spolia ne detrahit.

PROV.—Hei mihi! quam male res successit meis sagittariis!

LYS.—Sed quidnam arbitraris? an ancillas aggredi te putasti? aut mulieribus bilem inesse non existimas?

PROV.—Immo hercle perquam multam, si prope sit caupo.

CHOR. SEN.—O qui multa incassum verba effudisti, Provisor hujus urbis, cur cum hisce bestiis verbis velitationi te committis? nescis quali balneo istæ nos modo laverint indutos vestibus, idque sine lixivio.

CHOR. MUL.—Sed, ô bone, non oportet aliis temere admovere manum: sin hoc feceris, omnino tibi tumbent oculi. Modeste enim ego, tanquam virgo, sedere volo, nemini hîc molestiam adferens, ne festucam quidem loco movens, dum ne quis me premat et irritet tanquam crabrones.

CHOR. SEN.—O Jupiter! quid faciemus istis bestiis? hæc enim sunt intolerabilia. Sed inquirendum tibi mecum est in hoc malum, quid volentes Cranaam^[PG36] occupaverint, curque petricosam inaccessam arcem, sacrum templum. Sed interroga et ne crede, et adhibe omnia argumenta. Turpe enim nobis inexploratam rem ejusmodi sinere nostra negligentia.

PROV.—Equidem hercle hoc primum cupio ex ipsis quærere: quid volentes arcem nostram repagulis occlusistis?

LYS.—Ut pecuniam salvam præstaremus, nec propter eam bellaretis.

PROV.—Propter pecuniam ergo bellamus?

LYS.—Quin cetera omnia turbata sunt. Pisander^[PG37] enim, et qui magistratus ambiunt, ut habeant quod depeculentur, semper aliquas turbas concitare solent. Jam vero faciant quidquid libuerit: nam ex ista pecunia nihil amplius deprement.

PROV.—Quid facies ergo?

LYS.—Rogas? Nos eam dispensabimus.

PROV.—Vosne pecuniam dispensabitis?

LYS.—Quid mirum tibi videtur? nonne utique domi penum omnem vobis dispensamus?

PROV.—Sed non eadem res est.

LYS.—Quomodo non eadem?

PROV.—Hinc bellum gerendum est.

LYS.—At primum nihil opus est belligerare.

PROV.—Quonam ergo alio modo servabimur?

LYS.—Nos servabimus vos.

PROV.—Vosne?

LYS.—Nos vero.

PROV.—Indignum hoc quidem.

LYS.—Servaberis tamen, etiamsi nolis.

PROV.—Rem atrocem dicis.

LYS.—Stomacharis: attamen hoc tibi faciendum est.

PROV.—Per Cererem, iniquum est.

LYS.—Habenda salus est, ô bone.

PROV.—Et si non opus mihi sit ea?

LYS.—Eapropter multo magis.

PROV.—Sed vobis unde in mentem venit, ut bellum et pacem curaretis?

LYS.—Id vobis dicemus.

PROV.—Dic igitur ocius, ne plores.

LYS.—Ausculata jam, et conator manus comprimere.

PROV.—Sed non possum: mihi enim præ iracundia difficile est eas cohibere.

LYS.—Ergo multo magis plorabis.

PROV.—Istuc quidem, ô vetula, tuo capiti crocitaveris: tu vero mihi quæ ad rem sint dicito.

LYS.—Hoc agam. Superiore quidem bello et tempore tulimus patienter modestia nostra vos viros, quidquid ageretis; non enim sinebatis nos mutire, postea non placebatis nobis: sed sentiebamus satis quid ageretis: domique sæpe audivimus vos magnis de rebus mala consilia cepisse. Deinde interno dolore ægræ cum risu interrogabamus vos: *Quid vobis hodie in concione constitutum est columnæ inscribere de pace?* Tum^[15] vir, *Quid hoc ad te, aiebat, nonne tacebis?* Et ego tacebam.

MUL. QUÆD.—At ego nunquam tacuissem.

PROV.—At plorasses, nisi tacuisses.

LYS.—Ego vero domi tacebam. Audito forte alio quo deteriori consilio vestro, quærere solebamus: *Mi vir, quí fit, ut hæc tam stulte agatis?* At ille statim limis me intuens dicebat: *Nisi subtemen neveris, dolebit tibi caput diu: bellum autem curabunt viri.*

PROV.—Recte quidem ille hercle dicebat.

LYS.—Quonam modo *recte*, ô perditæ, si nobis nec submonere vos licuit, prava consilia agitantes? sed quum jam vos audiremus per compita palam dicentes: *Non est vir in urbe, non hercle quisquam est alius;* posthæc statim Græciam servare communiter visum est mulieribus congregatis: cur enim fuisset diutius expectandum? Si igitur nobis meliora suadentibus vicissim volueritis auscultare et vicissim tacere, ut nos tunc, fieri possit, ut vos restituamus.

PROV.—Vosne nos restituatis? sane acerbum dictu et intolerabile.

LYS.—Tace.

PROV.—Tuone jussu, ô scelestæ, taceam ego? idque præsertim quum flammeo caput obtectum habeas? emori me malim.

LYS.—Sed si istuc solum tibi est impedimento, flammeum hocce a me acceptum circumpone capiti tuo, deinde tace. Hunc etiam sume calathum, et succinctus lanam carpe, fabas esitans: *bellum autem curabunt mulieres.*

CHOR. MUL.—Recedite, ô mulieres, ab urnis, ut et nos vicissim amicis nostris opitulemur. Ego enim nunquam defetiscar saltando, neque lassitudo molesta capiet genua mea: voloque adire omne periculum cum istis, virtutis causa, quibus inest ingenium, inest gratia, inest audacia, inest et sapientia, inest addicta reipublicæ virtus cum prudentia conjuncta. Sed ô fortissimarum aviarum, et tactu urentium matercularum progenies, ite animo ardenti et ne mitescite: nam adhuc secundo vento curritis.

LYS.—Sed si Cupido ille dulcis, et Cypria Venus, amorem vobis in sinum et in femina inspiraverit; deinde vero si viris tentiginem jucundam ingeneraverit, ut quasi baculos penes erigant, spero fore aliquando, ut *Lysimachæ* a Græcis vocitemur.

PROV.—Quodnam ob facinus?

LYS.—Si effecerimus, ut desinant cum armis in foro versari et insanire.

MUL. QUÆD.—Maxime,^[16] ita me Paphia Venus amet.

LYS.—Nunc enim et qua ollæ, et qua venduntur olera, obambulant per forum cum armis, quasi Corybantes.^[PG38]

PROV.—Ita hercle: sic enim fortes decet.

LYS.—Profecto res est ridicula, si quis clypeum Gorgonis capite insignitum tenens, emat coracinos.

MUL. QUÆD.—Vidi equidem ecastor comatum quemdam equitum tribunum,^[PG39] qui equo insidens in æreum pileum injiciebat ovum a vetula sumtum. Thrax vero alius peltam quatiens et jaculum, uti Tereus,^[PG40] terrefaciebat caricarum venditricem, et ficus maturas deglutiebat.

PROV.—Quomodo igitur poteritis vos turbatas res multas sedare, et dissolvere in regionibus?

LYS.—Perfacile.

PROV.—Quomodo? ostende.

LYS.—Sicuti fila, quum nobis sunt turbata, sicprehendimus, et subducimus fuis hac et illac; ita et bellum istud dissolvemus, si quis sinat, diducentes id per legationes hac et illac.

PROV.—Ex lana ergo et filis et fuis res periculosas, ô fatuæ, vos putatis sedaturas?

LYS.—Et vos, si vobis aliquid inesset sanæ mentis, ex nostro lanificio sumto exemplo rempublicam administraretis.

PROV.—Quidum? fac videam.

LYS.—Primum quidem oportebat vos, tanquam lanam in balneo, eluentes sordes, homines nequam præcipites ex urbe virgis expellere, et tribulos seligere; et istos qui inter se cohærent, et sese trudent, magistratus affectantes, distrahere, eorumque capita defloccare: deinde omnes in calathum carminare communem benevolentiam, immiscendo et inquilinos,

et si quis hospes aut amicus sit vobis; et si quis debeat ærario, hos quoque immiscendo. Quin etiam urbes, quas deducti ex hac terra coloni tenent, scire vos oportebat veluti glomeres quosdam nobis jacere, seorsum singulas: deinde ab istis omnibus sumere oportebat filum, hucque adducere, et omnia in unum cogere, deinde facere glomerem magnum, et ex eo texere Populo lænam.

PROV.—Nonne indignum est hæc istas lænæ instar purgare et glomerare, quæ belli minime participes sunt?

LYS.—Atqui, ô sceleratissime, plusquam duplum id ferimus, quæ primum quidem peperimus filios, et armatos emisimus.

PROV.—Tace: noli meminisse malorum.^[PG41]

LYS.—Deinde, quando oportet nos oblectari, et flore ætatis frui, solæ cubamus ob militiam. At quod nostra intersit mittite: discrucior vero propter virgines in thalamis consenescentes.

PROV.—Non ergo et viri senescunt?

LYS.—Edepol longe diversum est quod dicis. Vir enim peregre adveniens, etiamsi canus sit, cito puellam ducit virginem: mulieris autem brevis est opportunitas, quam nisi apprehendat, nemo vult eam ducere: sedet autem omnia captans.

PROV.—Sed quicumque senex penem adhuc arrigere valet—

LYS.—Tu ergo cur non moreris? morti tempestivus es. Sandapilam emes: utique mellitam tibi placentam pinsam. Sume hanc corollam et cinge caput.

MUL. I.—Et istas vittas accipe a me.

MUL. II.—Et hanc cape coronam.

LYS.—Quid tibi deest? quid desideras? Vade in navem; te Charon vocat: in mora es, quominus in altum provehatur.

PROV.—Nonne acerbum est hoc me pati? sed mehercle certum est ad collegas ire cum isto ornatu, et meipsum iis ostendere.

LYS.—Num expostulas, quod te non collocavimus? ^[PG42] sed post tertium diem a nobis venient tibi summo mane tridualia parata.^[PG43]

CHOR. SEN.—Non amplius decet dormire, quicumque est liber; sed accingamus nos, viri, ad hoc negotium. Jam enim hæc res plura et majora olere facinora mihi videtur: et præcipue odoror Hippiaæ tyrannidem;^[PG44] metuoque valde, ne Lacones aliqui viri huc convenerint in Clisthenis domum, et has diis invisas mulieres dolo incitent, ut occupent opes nostras, et mercedem, unde ego victitabam.^[PG45] Indignum enim est ab istis admoneri cives, easque, mulieres quum sint, loqui de æreo clypeo, et insuper nobiscum agere de pace cum Laconibus, quibus non plus inest fidei, quam hianti lupo. Sed, ô viri, hæc illæ texuerunt ad tyrannidem occupandam. At enim nunquam mihi dominabuntur, siquidem cavebo, et *gestabo gladium deinceps in myrti ramo*, et in foro stabo armatus prope Aristogitonem.^[PG46] Hoc modo autem stabo juxta ipsum: ipse enim mihi auctor est, ut hujus diis invisæ vetulæ percutiam maxillam.

CHOR. MUL.—At vos domum ingressos ne mater ipsa agnoverit. Sed, ô carissimæ vetulæ, primum hæc humi deponamus. Nos enim, ô cives, orationem exordimur civitati utilem; atque adeo merito: nam illa in deliciis splendide educavit me. Septem annos nata statim arcana in Minervæ pompa gestavi: deinde molitrix fui: tum decennis, Dianæ dominæ, fluenti crocota amicta, Brauroniis consecrata fui;^[PG47] demum adulta virgo canistrum gestavi,^[PG48] habens caricarum catenam. Numquid ego debeo civitati suadere utilia? licet autem femina nata sim, absit invidia, si meliora præsentibus adferam: nam symbolæ etiam ego particeps sum, quippe quæ viros in commune adfero: vobis autem miseris senibus nulla hujus pars est. Nam symbolam avorum, quæ dicitur, collatam ex Medorum spoliis,^[PG49] quum consumseritis, non vicissim adfertis tributa: sed insuper etiam periculum est, ne a vobis perdamur. Num ergo mutire licet vobis? Si autem molestus mihi eris, crudo hoc cothurno buccam tibi percutiam.

CHOR. SEN.—Annon hæc contumelia est magna? quin et incrementum res captura mihi videtur magis. Sed obviam ire oportet huic malo, quicumque coleatus est vir. Sed exomidem exuamus. Nam vir debet olere statim virum, nec decet vestibus involutum esse. Sed agite lupipedes,^[17] quicumque ad Lipsydrium^[PG50] convenimus, quum adhuc essemus: nunc oportet, nunc adsumere rursus juvenile robur, et extollere totum corpus, et decutere senium hocce. Si enim quis nostrum hisce vel exiguam ansam dederit, nihil remittent illæ ab adsiduo labore; verum et naves fabricabunt, et adhuc conabuntur navalibus præliis decertare, et contra nos navigare, ut Artemisia:^[PG51] sin ad equitandum se convertant, deleo dehinc equites nostros ex catalogo. Nam equo maxime^[18] gaudet, eique firmiter invehit mulier;^[PG52] nec currente facile deciderit: specta sis Amazonas, quas Micon pinxit in equis pugnantibus cum viris.^[PG53] Sed istarum omnium in numellam indere hoc collum oportet.

CHOR. MUL.—Ecastor, si me irritassis, suem meam laxabo jam, et faxo hodie, ut vellicatus populares tuos inclames. Sed et nos, ô mulieres, ocium exuamus, ut oleamus feminas pertinaciter iratas. Nunc ad me veniat aliquis, ut ne amplius comedat allia neque fabas nigras. Nam si dixeris tantum male, sum enim valde irata, *aquilæ parienti scarabæus tibi ero obstetrix*.^[PG54]

MUL. QUÆD.—Vos enim nihili faciam, si mihi vivat Lampito, et Thebana amica nobilis Ismenia. Non enim potis eris, nec si septies decreta facias, qui odio es, ô perditæ, omnibus et vicinis. Nam et heri, quum Hecatæ festum ludicrum instituerem, liberis meis amicam accessivi ex vicinia, puellam bonam et amabilem, Bæotiam anguillam: illi autem negarunt se missuros propter tua decreta. Nec unquam hujusmodi decreta facere desinetis, priusquam vos aliquis crure arreptos in præceps dejiciat.

CHORUS MULIERUM, LYSISTRATA, MULIERES QUÆDAM, CHORUS SENUM, SENEX QUIDAM.

CHOR. MUL.—Dux facinoris hujus et consili, cur mihi tristis exivisti ex ædibus?

LYS.—Malarum feminarum facta et muliebris animus anxiam me reddunt, et sursum deorsum agunt.

CHOR. MUL.—Quid ais? quid ais?

LYS.—Vera, vera.

CHOR. MUL.—Quid mali est? dic nobis, quæ amicæ tuæ sumus.

LYS.—Sed turpe est dicere, et difficile reticere.

CHOR. MUL.—Ne me celes, quid nobis evenerit male.

LYS.—Prurimus libidine, ut brevissime dicam.

CHOR. MUL.—Io Jupiter!

LYS.—Quid Jovem inclamas? hæc sane ita habent. Equidem eas abstinere non amplius possum a viris: aufugiunt enim. Primam quidem deprehendi foramen pertudentem,^[19] ubi Panos est sacellum: aliam e trochlea sese devolventem: aliam vero transfugium parantem: porro unam, passeri insidentem, jam volare cogitantem deorsum in domum Orsilochj,^[PG55] crinibus prehensam heri retraxi: omnesque prætextus extundunt domum abuendi.

Jam quædam earum venit. Heus tu, quorsum curris?

MUL. I.— Domum ire volo: domi enim mihi est lana Milesia, quam tineæ rodunt.

LYS.—Quæ tineæ? nonne ibis retro?

MUL. I.—Sed cito revortar, per Divas juro, dummodo in lecto extendero—

LYS.—Ne extende, neque abeas usquam.

MUL. I.—Sed lanamne perire sinam?

LYS.—Ita, si necesse sit.

MUL. II.—Me miseram, me miseram, ob amorgidem, quam reliqui domi non decorticatam.

LYS.—En alia, ad amorgin non decorticatam quæ egreditur. Redi huc.

MUL. II.—At per Luciferam juro, me actutum inde huc redituram, ubi eam decorticavero.

LYS.—Noli decorticare: nam si tu istuc inceptaveris, itidem alia mulier facere volet.

MUL. III.—O diva Lucina, retine partum, donec in locum profanum ivero.

LYS.—Quid nugaris ita?

MUL. III.—Jamjam pariam.

LYS.—Atqui heri non eras prægnas.

MUL. III.—Verum hodie. Sed domum me ad obstetricem, ô Lysistrata, dimitte quam primum.

LYS.—Quam fabulam narras? quid habes hic duri?

MUL. III.—Masculum infantem.

LYS.—Non tu ecastor. Profecto ahenum habere quoddam videris cavum. Sciam modo. O ridicula! sacram galeam habes, et prægnatem te esse dicis.

MUL. III.—Et edepol prægnans^[20] sum.

LYS.—Cur ergo hanc habebas?

MUL. III.—Ut, si me occupasset partus adhuc in arce, parerem in galeam istam ingressa, ut columbæ.

LYS.—Quid dicis? cur manifestæ rei verba prætendis? non lustricum galeæ diem hic expectabis?

MUL. IV.—At non possum amplius ne quidem dormire in arce, ex quo serpentem illum ædituum vidi.

MUL. V.—Ego vero misera pereo insomnia ob continuum titubantium^[21] noctuarum clangorem.

LYS.—O scelestæ, mittite ficta ista portenta. Fortassis viros desideratis. Nos vero nonne putas illis desiderio esse? sat scio, molestas transigunt noctes. Sed, ô bonæ, sustinite fortiter, et durate paululum adhuc. Nobis enim editum est oraculo, superiores nos futuras, si seditionem inter nos non fecerimus. Sic autem habet oraculum.

CHOR. MUL.—Dic nobis quid dicat.

LYS.—Tacete jam.

Sed quando hirundines trepidæ in unum locum convenerint epopas fugientes, abstinebuntque a mentulis, tum finis erit malorum, et summa faciet ima Jupiter altifremens.

CHOR. MUL.—Supra jacebimus nos?

LYS.—*Sin dissidium fecerint, et avolarint e sacro templo hirundines, jam non videbitur avis ulla esse lascivior.*

CHOR. MUL.—Perspicuum edepol oraculum: ô Cœlites! ne jam despondeamus animum lassitudine, sed ingrediamur. Etenim turpe erit, ô carissimæ, si oraculo defuerimus.

CHOR. SEN.—Fabulam volo narrare quandam vobis, quam olim ipse puer audivi: sic autem habet. Erat adolescens quidam Melanion, qui fugiens nuptias abiit in deserta, et in montibus habitabat: deinde lepores venabatur, texens retia, et canem unum habebat. Nec amplius rediit domum, propter odium: adeo mulieres abominatus est ille. Nos vero non minus quam Melanion, qui sumus casti.^[PG56]

SEN. QUID.—Volo te osculari, vetula.

MUL. QUÆD.—Non ergo cepam comedes.

SEN.—Et sublato crure te calce ferire.

MUL.—Silvam multam geris.

SEN.—Nam et Myronides erat hispidus illa parta, nigroque podice, timendus hostibus omnibus: sic etiam Phormio.^[PG57]

CHOR. MUL.—Et ego volo fabulam quandam vobis narrare Melanioni respondentem. Timon^[PG58] quidam erat implacabilis, inaccessis spinis circumseptus faciem, Furiarum propago. Iste inquam Timon fugit propter odium, multa mala imprecatus improbis viris. Sic ille rursus vestrûm oderat malos viros semper: mulierum autem erat amantissimus.

MUL. QUÆD.—Visne buccam tibi percutiam?

SEN. QUÆD.—Haudquaquam timeo.

MUL.—Sed crure feriam.

SEN.—Cunnum ostendes.

MUL.—Sed tamen non videbis, licet vetula sim, eum crinitum, at deglabratum lucernæ flammula.

LYSISTRATA, MULIERES QUÆDAM, MYRRHINA, CINESIAS, PUER, CHORUS SENUM.

LYS.—Io, io mulieres, venite huc ad me celeriter.

MUL. I.—Quid est? dic mihi, quis est iste clamor?

LYS.—Virum, virum video accedere furibundum, Veneris percitum orgiis.

MUL. II.—O diva, Cypri, et Cytherorum, et Paphi regina, perge recta via, quam institisti.

MUL. I.—Ubi est, quisquis est?

LYS.—Apud Cereris.

MUL. I.—Ecastor, næ est aliquis. Nam quis esse possit?

LYS.—Videte. Novitne aliqua vestrûm?

MYRR.—Pol equidem novi: et est meus vir Cinesias.

LYS.—Tuum sit munus torrere et versare illum, et decipere amando et non amando, et omnia præbere, præter illa, quorum conscius est calix.

MYRR.—Ne sollicita sis: faciam ista ego.

LYS.—Quin et ego hic manens una tecum decipiam et uram istum. Vos autem abite.

CIN.—Hei mihi misero! quanta discrucior convulsione et tentigine, non secus ac si in rota torquar!

LYS.—Quis est iste, qui stat cis custodes?

CIN.—Ego.

LYS.—Vir?

CIN.—Vir utique.

LYS.—Nonne ergo hinc facesses?

CIN.—Tu vero quænam es, quæ me ejicis?

LYS.—Diurna speculatrix.

CIN.—Per deos ergo obsecro, evoca mihi Myrrhinam.

LYS.—Ecce vero! egone ut Myrrhinam tibi vocem? Tu autem, quis es?

CIN.—Vir illius, Pæonides Cinesias.

LYS.—O salve carissime: non enim obscurum apud nos est tuum nomen, nec ignobile; semper enim te in ore habet uxor tua, et si ovum aut malum sumat, *Cinesia sit hoc*, inquit.

CIN.—Dii vostram fidem!

LYS.—Ita est, per Venerem juro. Tum si de viris incidat sermo aliquis, statim dicere solet uxor tua, *cetera omnia nugas esse præ Cinesia*.

CIN.—Agedum voca ipsam.

LYS.—Quid? dabisne aliquid mihi?

CIN.—Equidem hercle illico si velis. Habeo autem istud: quod itaque habeo, do tibi.

LYS.—Descendam igitur, et vocabo eam tibi.

CIN.—Quam citissime ergo. Nam prorsus ingrata mihi vita est, ex quo exivit illa domo: atque intrare tædet: desolata mihi videntur omnia: neque unquam quicquam me juvat quod edo: nam riget mihi nervus.

MYRR.—Amo equidem, amo illum: sed non vult a me amari. Proinde ne me ad hunc vocaveris.

CIN.—O dulcissima Myrrhinula, cur istæc agis? descende huc.

MYRR.—Non ecastor ego illuc descendam.

CIN.—Ne quidem me vocante, Myrrhina?

MYRR.—Nihil enim mei indigens me vocas.

CIN.—Egone nihil indigens? immo perditus.

MYRR.—Abeo.

CIN.—Noli, quæso: sed saltem puerulo ausculta. Heus tu, nonne vocas matrem?

PUER.—Mater, mater, mater.

CIN.—Heus tu, quid agis? nonne te miseret pueruli sextum jam diem illoti et mamma carentis?

MYRR.—Utique miseret me: sed negligens est ei pater.

CIN.—Descende, insana, pueruli gratia.

MYRR.—Hem! quale est peperisse! descendendum; quid enim agam?

CIN.—Mihi quidem junior illa videtur facta esse multo, et amabilius intueri: et quod se difficilem præbet, meique fastidit, illud ipsum nimirum est, quod me enecat desiderio.

MYRR.—O dulcissime filirole mali patris, age deosculabor te dulcissimum matri tuæ.

CIN.—Cur, ô improba, hæc facis, aliisque obsequeris mulieribus? Et me molestia, teque ipsam tædio adficis.

MYRR.—Potin' es ut abstineas manum?

CIN.—Quæ nobis autem domi sunt communia bona, perditum is.

MYRR.—Parvi pendo illa.

CIN.—An parvi pendis, quod tramam differunt gallinæ.

MYRR.—Ita ecastor.

CIN.—Veneris orgia non celebrasti tanto tempore. Nonne redibis?

MYRR.—Haud pol ego, nisi pacem faciatis inter vos, et desinatis belligerare.

CIN.—Ergo, si tibi ita placet, id etiam faciemus.

MYRR.—Ergo, si tibi ita placet, domum redibo: nunc autem quin redeam sacramento teneor.

CIN.—Saltem aliquantisper mecum decumbe.

MYRR.—Non sane: etsi non possim negare te a me amari.

CIN.—Amas? cur ergo non decumbis, ô Myrrhina?

MYRR.—O ridende, num præsentem puerulo?

CIN.—Non hercle. Sed tu, ô Manes, fer eum domum. Ecce puerulus jam tibi hinc amotus: tu vero non decumbes?

MYRR.—Sed, ô perditæ, ubi fieri id potest?

CIN.—Ad Panos sacellum percommode.

MYRR.—At quomodo in arcem casta redire poterò?

CIN.—Facillime in Clepsydra^[PG59] si laveris.

MYRR.—Scilicet, ô perditæ, jurata pejerabo.

CIN.—In caput meum vertat. De jurejurando ne sis sollicita.

MYRR.—Agedum feram lectulum nobis.

CIN.—Nequaquam: sufficit nobis humi cubare.

MYRR.—Ita me Apollo juvet, ut ego te, quamvis turgentem libidine, non reclinaverim humi.

CIN.—Amat me valde, satis apparet, uxor.

MYRR.—En, decumbe properans, et ego exuo vestes. At, perii! teges efferenda est.

CIN.—Quæ, malum, teges? haud mihi quidem.

MYRR.—Ita mihi Diana propitia sit: turpe est enim super loris cubare.

CIN.—Sine deosculer te.

MYRR.—En.

CIN.—Papæ! revertere huc ergo quam celerrime.

MYRR.—En teges. Decumbe: jam exuo vestes. Sed, perii! cervical non habes.

CIN.—At nihil opus est mihi.

MYRR.—At ecastor mihi.

CIN.—Profecto penis hicce uti Hercules hospitio excipitur.^[PG60]

MYRR.—Surge, subsulta.

CIN.—Jam omnia habeo.

MYRR.—Itane omnia?

CIN.—Agedum, ô aurea.

MYRR.—Jam strophium solvo: tu vero memento, ne, quam dedisti de pace ineunda, fidem fallas.

CIN.—Peream hercle prius.

MYRR.—Sed lodicem non habes.

CIN.—Nec hercle opus est: sed futuere volo.

MYRR.—Ne sis sollicitus, et istud facies: cito enim redeo.

CIN.—Stragulis perdet me hæc femina.

MYRR.—Erigere.

CIN.—At iste jamdudum erectus est.

MYRR.—Vin' ut te inungam?

CIN.—Ne hoc Apollo sirit.

MYRR.—Per Venerem, velis nolis, inungere.

CIN.—Utinam, ô supreme Jupiter, effusum fuisset istuc unguentum!

MYRR.—Porrige manum, sume et inungere.

CIN.—Istuc hercle unguentum minime est suave, nisi terendo bonum sit; nec concubitum olet.

MYRR.—Me miseram! Rhodium unguentum extuli.^[PG61]

CIN.—Bonum est: hoc mitte, ô fatua.

MYRR.—Nugaris.

CIN.—Qui illum dii omnes perduint, qui primus coxit unguentum!

MYRR.—Cape hoc alabastrum.

CIN.—Sed aliud habeo. At tu, ô perdita, decumbe, et ne fer mihi quicquam.

MYRR.—Istuc agam, ita me Diana amabit. Calceos igitur exeo. Sed, ô carissime, vide, ut decernas aliquid de pace facienda.

CIN.—Consulam—Perdidit me et adtrivit mulier tum aliis omnibus, tum quod me excoriatum relinquens abiit. Hei mihi! quid faciam? quem futuam, postquam spe excidi potiundæ pulcherrimæ? quomodo hancce educabo? ubi Cynalopex? loca mihi mercede nutricem.^[PG62]

CHOR. SEN.—In maxumis malis, ô infelix, et animi angore cruciaris; et me tui miseret. Heu! heu!^[22] Quinam renes possint durare? quis animus? qui colei? quis lumbus? quis penis intentus, nec mane permolens aliquam?

CIN.—O Jupiter! quam diræ convulsiones!

CHOR. SEN.—Ita de te merita est execrabilis et scelestia illa.

CIN.—Immo hercle cara et dulcissima.

CHOR. SEN.—Quid, malum, *dulcissima*? Scelerata, scelerata utique. O Jupiter, ô utinam ipsam, velut acervos acerum, magno venti turbine contortam et rotatam auferas, deinde dimittas: illa autem rursus feratur in terram: deinde repente in mentulam incidat et infigatur!

CADUCEATOR LACEDÆMONIORUM, PROVISO, CHORUS SENUM, CHORUS MULIERUM.

CAD.—Ubi Athenarum est Senatus, aut ubi sunt Magistratus? Volo aliquid novi dicere.

PROV.—Tu vero quis es? utrum homo, an Conissalus?^[PG63]

CAD.—Caduceator ego sum, ô stulte: testor deos geminos: veni Sparta, pacis conciliandæ gratia.

PROV.—Ergone advenisti hastam sub axilla gerens?

CAD.—Non ego hercle.

PROV.—Quo te versas? quidve prætendis sagum? an dolent tibi inguina ex itinere?

CAD.—Ineptus mecastor est hic homo.

PROV.—Sed arrigis, impurissime.

CAD.—Non ego hercle: noli nugari.

PROV.—At quid est hoc tibi?

CAD.—Scytala Laconica.^[PG64]

PROV.—Sit modo hæc scytala Laconica: sed mihi, tanquam scienti, dic verum: quomodo sese res vestræ habent Lacedæmone?

CAD.—Erecta est universa Lacedæmon, et socii omnes arrigunt: Pellena^[PG65] opus est.

PROV.—Udenam istud malum in vos inguit? num a Panos ira?

CAD.—Non. Principium quidem sola Lampito: deinde ceteræ simul Spartanæ mulieres uno conensu viros a cunnis abegerunt.

PROV.—Quomodo ergo habetis?

CAD.—Ærumnis conficimur: nam per urbem incurvi ambulamus, tanquam lucernas gestantes: mulieres autem ne tangi quidem sibi cunnum a nobis patiuntur, priusquam omnes unanimi consilio pacem faciamus cum Græcia.

PROV.—In hanc rem undique conjurarunt mulieres: nunc demum intelligo.^[23] Sed quamprimum renuntia, ut de pace legatos plena cum potestate huc mittant: ego vero Senatui dicam, ut alios hinc lectos mittant legatos, ostendens hunc penem.

CAD.—Volabo: nam optime prorsus autumas.

CHOR. SEN.—Nulla est bestia muliere inexpugnabilior, nec ignis, nec ulla pardalis tam impudens.

CHOR. MUL.—Hæc vero ita esse intelligis,^[24] et bellum geris, dic mihi, quum tibi nunc, ô improbe, liceat certam me habere amicam.

CHOR. SEN.—Equidem mulieres odisse non desinam.

CHOR. MUL.—Sed quando voles, desines: nunc autem non patiar te nudum sic esse: video enim, quam sis ridiculus. Verum accedam, et tibi hanc exomidem induam.

CHOR. SEN.—Istuc quidem hercle non perperam facitis: verum præ iracundia illam modo exui.

CHOR. MUL.—Primo quidem vir videris: deinde non es ridiculus: et nisi mihi molestus fuisses, ego tibi hanc bestiolam, quæ oculo tuo nunc insidet, prehensam exemissem.

CHOR. SEN.—Hoc nimirum erat, quod me cruciabat, mordaculus ille. Erue id: et ubi detraxeris, ostende mihi. Nam dudum hercle oculum mihi morsicat.

CHOR. MUL.—Sed faciam id, etsi homo sis morosus. O Jupiter! ingens utique aspectu culex inest tibi. Nonne vides? annon iste culex est Tricorysius?^[PG66]

CHOR. SEN.—Edepol me beasti. Nam dudum me fodiebat, quasi puteum faceret: itaque, postquam exemtus est, fluit mihi lacrima largiter.

CHOR. MUL.—Sed detergam ego te, etsi valde sis malus; et osculabor.

CHOR. SEN.—Ne osculeris.

CHOR. MUL.—Velis nolis, tamen.

CHOR. SEN.—Male pereatis, ut estis ingenio ad blandiendum composito! et est vetus illud verbum vere et non perperam dictum: *Neque cum perniciosissimis, neque sine perniciosissimis.*

CHOR. MUL.—Sed nunc tecum paciscor, me deinceps nec facturam amplius vobis, nec passuram a vobis quicquam mali: sed jam coetu facto incipiamus una canticum. Ita nos, ô viri comparamus, ut nulli civium ne minimum quidem male dicamus: sed contra potius omnia bona et dicamus et faciamus: etenim sufficiunt præsentia hæc mala. Sed profiteatur quicumque vir aut femina pecunia eget, et accipere vult minas duas aut tres:^[PG67] nam plurimum est intus, nosque habemus cruminas: et si aliquando Pax exoriatur, quicumque nunc mutuabitur, is quæ a nobis acceperit nunquam reddet. Convivio autem excepturæ sumus hospites quosdam Carystios,^[PG68] viros bonos et fortes: et est nonnihil pultis: et porcellus erat mihi, quem mactavi: sicque carnes habebitis teneras et bonas. Venite ergo in domum meam hodie: tempori autem oportet hoc facere lotos, vos ipsos et liberos vestros; deinde intro ire, nec quemquam interrogare: sed recta ingredi, tanquam in domos vestras, strenue. Fortassis autem janua erit clausa.^[PG69]

